



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Tempus, & motum cælestem nos fluxæ nostræ naturæ admonere vim
inesse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

quia non generantur, etiam non corrumpuntur, nec multiplicantur, sed immortales perseverant. Hoc est, quod legamus: *Domini sapientia fundavit terram, stabilivit calos prudentia.* Ita enim sunt stabiliti, ut neque morbus, nec mors illuc intrare possit. Terra autem ita fundata est, ut, qui in ea degunt, non in ea, sed in caelo sperent immortalitatem. Monuit hoc Ecclesiastes, cum dixit: *Omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt uniuersa sub calo. Tempus nascendi, & tempus moriendi. Tempus plantandi, & tempus euellendi, quod plantatum est. Tempus occidendi, & tempus sanandi.* Si quis profunditatem sensus verborum istorum introspexerit, ait Nyssenus, inuenies in ys esse comprehensum multum Philosophie tam contemplatiua, quam eius, que consulit ea, que sunt utilia. Quænam autem illa? Cum sint res omnes in fluxu, & nostra excurrant negotia, nequit in his statui felicitas, non debet illa reformidari, haud semper duratura miseria, inquit Hugo Victorinus, neq; murmurare aduersus diuinam providentiam vllum oportet qui statura singulis spatia definiuit, & in naturalibus, & in humanis, tum prosperis, tum aduersis, quod Iob vidit & sapienter approbavit, non minus mala suscipiens de manu Dei, quando is illa esse voluit, quam bona. Facuus est, qui quærit æternitatem in tempore, aut beatitudinem, quæ constans est, ac sempiterna, in perpetuo fluentibus rebus, ut qui messem in hieme, aut piscem in aëre quærit. *Tempus hoc,* ait Bernardus, *animabus, non corporibus est assignatum, dies salutis vtiq; non voluptatis.*

Itaque tempus ipsum, cuius durationi subsunt uniuersa sub caelo, propter varias durationes, quas ea mensura dimetitur, nos admonet nostræ vanitatis. Philosophicè enim tempus duratio est cum fluxu continuato. Ut ergo cæli motus durando perit; & pereundo durat; ita nostra vita, instar aquæ dilabitur, nec aliter manet nisi transeundo, sicut cæli motus, à quo vita nostra pender. Hinc semper cælum mouetur, ne nos ipsos immobiles existimemus; sed alios velut stellas, oriri, alios occidere cogitemus. Et Venetus scribit, septem esse fontes supermundanos, pertinentes ad primam causam, totidemque cælestes, nempe Planetas, quibus Deus res naturales moderatur. Qui ipsi Planetæ ostendunt, vitam nostram vagam incertamque esse. Et experimur vim illo-

Prou. 3. 19.

Ecclef. 3. 1.

S. Gregor.
Nyssen hom.
6. in Ecclef.
Hugo de Viã.
in c. 3. Ecclef.

Iob. 2. 20.

S. Bernard.
serm. in id.
Ecce nos reli-
quim⁹ omnia

IV.

Venet. Pro-
blem. script.
Tom. 5. lect. 1.
problem. 129.

rum,

A. Gell. lib. 3.
Noct. Attic.
cap. 10.

rum, quemadmodum & illarum rerum, quarum vim numerus^{us} septenarius patefacit. *M. Varro* in primo librorum, qui inscribuntur, *Hebdomades*, vel de imaginibus septenarij numeri, quem *Graci* ἑβδομάδα appellant, virtutes potestatesq; varias dicit, is namq; numerus, inquit, septemtriones maiores, minoresq; facit in calo, item *vergilias*; quas *πλειάδας* vocant, facit etiam *stellas*, quas alij *erraticas*, *P. Nigidius* errores appellat. *circulos* quoq; ait, in calo circum longitudinem axis septem esse; è quibus duos minimos, qui axem extremum tangunt, *πόλους* appellari dicit; sed eos in sphaera, quae *κενώτη*, vocatur, propter brevitatem non inesse, atqui neq; ipse *Zodiacus* septenario numero caret: nam in septimo signo fit solstitium à bruma; in septimo bruma à solstitio, in septimo aequinoctium ab aequinoctio dies deinde illos, quibus *halcyones* hieme anni, in qua nidulantur, eos quoq; septem esse dicit. praeterea scribit, luna circulum confici integris quater septenis diebus: nam duodecesimo, luna, inquit, ex quo vestigio profecta est, eodem redit: auctoremq; opinionis huius *Aristidem* esse *Samium*, in quo non id solum animaduerti debere dicit, quod quater septenis, id est, octo & viginti diebus, conficeret iter luna suum; sed quod is numerus septenarius, si ab uno profectus, dum ad semetipsum progreditur, omnes, per quos progressus est, numeros comprehendat, ipsumq; se addat, facit octo & viginti: quot dies sunt circuli lunaris: ad homines quoq; nascendos vim numeri istius porrigi pertinereq; ait, nam quum in uterum, inquit, mulieris genitale semen datum est primis septem diebus conglobatur, coagulaturq;, fitq; ad capiendam figuram idoneum. Post deinde quarta hebdomade quod eius virile fetus futurum est, caput & spina, quae est in dorso, informatur. Septima autem ferè hebdomade, id est, nono & quadragesimo die totus, inquit, homo in utero absolvitur. illam quoq; vim numeri huius observatam refert, quod ante mensem septimum, neq; masculus, neq; femina, salubriter, ac secundum naturam nasci potest, & quod hi, qui iustissime in utero sunt, post ducentos octoginta dies, postquam sunt concepti, quadragesima denique hebdomade ita nascuntur, pericula quoq; vita, fortunarumq; hominum, qua climacteras *Chaldaei* appellant, gravissima quaeq; fieri affirmat septenarijs; praeter hoc, modum esse dicit summum adolescendi humani corporis septem pedes. quod esse magis verum arbitramur, quam quod *Herodotus* homo fabulator in primo historiarum inventum esse

septuaginta
tres.

sub

sub terra scripsit Orestis corpus cubita longitudinis habens septem, qua faciunt pedes duodecim, & quadrantem: nisi si (ut Homerus opinatus est) vastiora prolixioraq; fuerint corpora hominum antiquorum, & nunc quasi iam mundo senescente rerum atque hominum decremēta sunt. Dentes quoq; & in primis septem mensibus, & septenos ex utraq; parte gigni ait, & cadere annis septenis, & genuinos adnasci annis fere bi septenis: venas etiam in hominibus, vel potius arterias, medicos multis dicere, ait, numero moueri septenario: quod ipsi appellant τὴν διὰ τῆσδε σὺμμετρίαν; quæ sit in collatione quaternarij numeri. discrimina etiam periculorum in morbu, maiore vi fieri putant in diebus, qui conficiuntur ex numero septenarij, eosq; dies omnium maximè, ita ut medici appellant ἑπταήμερον ἢ ἑπταήμερον, cuiquã videri primam hebdomadam, & secundam, & tertiam. Nec non id etiam est ad vim facultatemq; eius numeri augendas, quòd, quibus inedia mori consuetum est, septimo demum die mortem appetunt.

Hanc numeri septenarij vim obseruauit Varro, seruauit semper natura, & à cælo haustam etiam animalibus impressit; immò ipsum cælum, ipsa sidera, ipsos planetas in animalibus effigiauit, vt haberemus vbique mutationis nostræ monumenta. Sicut enim Mathematici ac Poëtæ stellas in animalium imagines distribuerunt; ita ante eos cælum suis nominibus figurisq; bestias decorauit. Hinc sunt in terra stelliones, in aqua stellæ & pisces, qui quia suis vndique radijs diuiduntur, Asteres; quiq; Lunæ, ob semicirculi similitudinem appellantur. Quin & hominum nonnulli Lunatici sunt; nonnullorum morbi ad Lunæ incrementum crescunt, & decrescunt, vt de mensuris feminarum fluxibus nihil dicam. Quid hæc omnia aliud sunt, quàm quidam nostræ fragilitatis præcones, qui & de cælo clamant, & de elementis, eius nos naturæ esse, cui vndique vanitatis suæ vilitatisq; vel causæ ostenduntur, vel argumenta, siue ea, quæ supra se, vel iuxta se sunt, intueatur? Nam cælum motu, stellæ ortu & interitu, Planetæ effectū, nostram nobis mobilitatem mortalitatemq; ingerunt. Ita enim & homo continuò mouetur, & numquam, Iob. 14. 2
in eodem statu permanet. Ita, instar solis, deliquia patitur, obscuratur, occidit. Ita sicut luna mutatur, neque menstrua tantùm, sed etiam diaria patitur decremēta. Quare, qui à cæli influxu

T pende-

V.